



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

7 De sacramentis gratiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

iacens in sepulcro. & videtur q̄ non. quia quæcun- que differunt specie, differunt numero: sed corpus Christi appensum in cruce, & iacens in sepulcro, differt specie eo modo, quo mortuum & viuum differunt specie. ergo non est vnum & idē numero.

SED CONTRA. Quæcunq̄ sunt vnum & idē numero: sed corpus Christi iacens in sepulcro, & appensum cruci, est vnum & idē supposito, siue hypostasi, quia hypostasis verbi Dei numquam separata est ab eius corpore. ergo corpus Christi est vnum & idē numero appensum cruci, & iacens in sepulcro.

RESPON. Dicendum, q̄ circa hoc cauendū sunt duæ damnatæ hæreses, quarum vna est Arrianorū, qui cum ponerent Christum animam non habuisse, sed uerbum fuisse corpori loco animæ, per consequens posuerunt q̄ uerbum separatum est in morte & corpore, sicut manifeste patet in quodam sermone Arrianorum, contra quem Augustinus disputat. Alia uero est hæresis Galanicarum, quæ fuit in sexta synodo damnata, qui cum ponerent unam naturam compositam ex diuinitate & humanitate, posuerunt illam naturam simpliciter incorruptibilem, & ita posuerunt corpus Christi simpliciter incorruptum nō solum corruptione putrefactionis, quod fides catholica tenet, secundum illud Psal. 15. Non dabis sanctum tuum uidere corruptionē, sed etiam corruptione quæ pertinet ad rationem mortis, quod est impium, ut patet per Damasc. in 3. lib. Sic ergo ad excludendam primam hæresim oportet nos ponere identitatem secundum suppositum in corpore Christi appenso cruci, & posito in sepulcro. Ad excludendam uero secundā hæresim, oportet nos ponere ueram differentiam mortis & uitæ: sed quia prima unitas maior est quā secunda differentia, dicendum est q̄ est idē numero corpus Christi appensum cruci, & iacens in sepulcro.

AD PRIMVM ergo dicendum, q̄ ratio illa non tenet in corpore Christi propter unitatē hypostasis.

QVAESTIO VI.

DE INDE quæsitum est de rebus humanis.

- ¶ Et primo, De gratia.
- ¶ Secundo, De sacramentis.
- ¶ Terzio, De actibus humanis.

ARTICVLVS IX.

Utrum Deus semper faciat nouam gratiam.

CIRCA primum quærebatur, utrum Deus semper faciat nouam gratiā, & uidetur q̄ sic. Aug. enim 8. super Gene. ad literam comparat infusionē gratiæ illuminationi. Sicut, inquit, aer præsentē lumine non factus est lucidus, sed fit, quia si factus esset, non feret, sed etiā absente lumine lucidus maneret, sic homo Deo præsentē illuminatur, absente autem continue tenebratur, a quo non locorum interuallis, sed uoluntatis auersione disceditur: sed sol semper facit nouum lumen in aere. ergo Deus semper facit nouam gratiam in anima.

SED CONTRA. Nobilioris creaturæ nobilior est esse: sed gratia est nobilissima creatura, quia est perfectio naturæ rationalis creatæ. ergo eius esse est nobilissimum. non ergo durat solum in momento, & ita non semper Deus facit nouam gratiam.

A **RESPON.** Dicendum, q̄ duplex est actio. Quædam quæ fit cum motu, & talis actio semper est cū aliqua inuouatione, quia semper in motu aliquid fit, & aliquid definit esse in quantum acceditur ad terminum, & acceditur a termino: & propter hoc Philo. dicit in 8. Phy. q̄ in omni motu est quodam modo fieri, & corrumpi. Alia autem actio est, quæ est sine motu per simplicem communicationem formæ, in quantum. scilicet agens suam similitudinem immitit recipienti disposito, & talis actio in principio quidem est cum inuouatione, secundum quod de nouo acquiritur forma in subiecto: sed continuatio ipsius actionis sicut nullum habet motum adiunctum, sed simplicem influxum, siue communicationem, ita etiam nullam habet inuouationē, & hoc modo causatur gratia a Deo in anima.

B Unde dicendum est, q̄ quando durat gratia in anima, Deus in anima operatur causans eam, non tamē ita, q̄ faciat semper nouam gratiam, & quod singulis momentis existens corrumpatur: sed quia eandem gratiam quam primo infudit, semper operatur in anima conseruans ipsam, quod quidem difficile est ad intelligendum non ualentibus abstracte considerationem suam ab actionibus, quæ sunt cum motu, in quibus semper aliquid inuouatur, ut dictum est.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod lumen semper fit in aere, quia semper actione solis illuminantis conseruatur, nō quod semper fiat aliud, & aliud lumen.

QVAESTIO VII.

DE INDE quæsitum est de sacramentis gratiæ.

- ¶ Et primo, De sacramento penitentiae, utrum per absolutionē sacerdotis remittatur culpa.
- ¶ Secundo, De sacramento matrimonii, utrum uir possit accipere crucem, si timeatur de incontinentia uxoris non ualentis uirum sequi.

ARTICVLVS X.

Utrum per absolutionem sacerdotis culpa remittatur.

AD PRIMVM sic procedebatur. Videtur q̄ per absolutionem sacerdotis culpa remittatur. Dicit enim Hugo de sancto Victore in libro de sacramentis, q̄ sententiam Petri sequitur sententia cœli: sed sententia cœli est de remissione culpæ. ergo remissio culpæ sequitur per sententiam Petri, quæ est sacerdotis absoluentis.

¶ 3. Præter. Sacramenta sunt medicinæ contra peccata: sed per medicinam sanantur uulnera, vel ægritudines. ergo ægritudo, vel uulnus peccati sanatur per sacramentum penitentiae: sed sacramentum penitentiae consummatur in hoc, quod dicit, Ego te absoluo, sicut sacramentum baptismi in hoc, q̄ dicit, Ego te baptizo. ergo per absolutionem sacerdotis dimittitur culpa.

SED CONTRA est, q̄ per solam contritionem dimittitur peccatum, secundum illud Psal. 31. Dixi, confitebor aduersum me iniustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei: sed contritio præcedit absolutionem sacerdotis, quia sacerdos nō debet aliquem absolueri, nisi æstimet eum contritum. ergo remissio culpæ præcedit absolutionem sacerdotis. non ergo per absolutionem sacerdotis culpa remittitur.

RESPON. Dicendum, q̄ sacramenta dupliciter operantur. Vno modo, secundum quod exhibentur in actu, alio modo secundum, quod habentur in voto, & Quodlib. S. Tho. **D** hoc

Ortho. ad dei
6. 4. 29.

Tex. 66. 56.

2. di. 15. q. 1
ar. 1. ad 4.

hoc ideo, quia sacramenta operantur, ut instrumēta diuinæ misericordiæ iustificantis. Dei autem est respicere hominis cor, secundum illud i. Reg. 16. Homines vident ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor: & ideo quàmuis res naturales non agant, nisi præfentialiter adhibita, sacramenta tamē agunt etiam secundum, quod sunt in voto, sed plenus sacramentalem effectum inducunt, quando actu exhibentur, sicut in baptismo. Nam catechumenus si sit adultus, & habeat baptismum in voto, iam consecutus est effectum baptismi quātum ad emundationem a peccato, & consecutionem gratiæ, quæ est proprius effectus Dei: sed quando actu baptismum suscipit, consequitur plenus quosdam sacramentales effectus, quia suscipit characterem, & remissionem totius peccati. Si quis tamen esset, qui nō prius haberet baptismum in voto, quā actu baptizaretur, sicut præcipue patet in pueris, simul recipit per baptismum gratiam remittentem culpā, & omnem alium sacramenti effectum. Et hoc etiam contingeret in adulto, si simul cum baptizaretur, voti baptismi habere inciperet: & idem est etiam in sacramento poenitentiae, quod consummatur in dispensatione ministri absoluentis. Cum enim aliquis actu absoluitur, consequitur plenarie sacramenti effectum: sed si antequam absoluitur, habeat hoc sacramentum in voto, quando s. proponit se subiacere clauibus ecclesiæ, iam virtus clauium operatur in ipso, & consequitur remissionem culpæ. Si quis tamen in ipsa absolutione incipit conteri, & clauis ecclesiæ habere in voto, in ipsa absolutione sacerdotis culpa ei dimittitur per gratiam, quæ infunditur in hoc sacramento, sicut & alijs sacramentis nouæ legis: vnde quandoque contingit, q̄ aliqui non perfecte contriti virtute clauium gratiam contritionis consequuntur, dummodo non ponant obicem Spiritui sancto: & idem est in alijs sacramentis nouæ legis, in quibus gratia confertur. Videtur tamen esse differentia inter baptismum, & poenitentiam propter hoc, q̄ sacramentum poenitentiae semper exhibetur adultis, in quibus, vt plurimum contritio præcedit tēpore cōfessionē, & absolutionē: baptismus aut multoties cōfertur pueris, in quibus votū baptismi nō præcedit: omnino autē simile appareret, si etiā baptismus exhiberetur adultis.

AD PRIMVM ergo dicendum, q̄ verbū Hugonis non est sic intelligendum, quasi sententia Petri in sacerdote absolvente præcedat tempore sententiam cœli, id est Dei remittētis culpam, sed quia sententia Petri approbat sententiam Dei.

AD SECVDVM dicendum, q̄ medicina sacramentalis operatur non solum actu adhibita, sed etiam in proposito existens: & ideo quādoq; sanatio vulneris præcedit sacramentalem absolutionem.

AD TERTIVM dicendum, q̄ nunquā potest esse vera contritio sine voto clauium Ecclesiæ, quātumcumque sit dolor de peccato præterito, & positum abstinendi in futurum, & ideo in contritione culpa remittitur.

ARTICVLVS XI.

Vtrum uir possit accipere crucem uxore nolente, si de eius incontinentia timeatur.

AD SECVDVM sic proceditur. Videtur q̄ uir possit accipere crucem ad transferendū ultra mare nolente uxore, si de eius incontinentia timeat. Nō debet enim homo prætermittere propriā salutē pro salute aliena: sed homo procurat salutē pro-

priam per hoc, quod cruce signatur consequens plenam remissionem peccatorum: ergo non debet hoc prætermittere, vt prouideat salutē uxoris.

SED CONTRA est, quod Aug. dicit. Si abstinere sine uxoris uoluntate, tribus ei fornicationis licentiis, & peccatū illius tūc imputabitur abstinentiæ: sed accipiēdo crucē impeditur a redditione debiti. ergo vt q̄ peccatum uxoris si contingat, uirō imputetur.

RESPOND. Dicendum, q̄ ea quæ sunt necessitatis, non sunt prætermittenda propter ea quæ sunt propriæ uoluntatis. Vnde et Dominus Matth. 15. reprehendit Phariseos, q̄ docebant prætermittere mandatum de honoratione parentum, vt aliqua uoluntaria oblationes Deo offerrentur. Ex necessitate autem uirō imminet vt gerat curam uxoris, quia caput mulieris est uir, vt dicitur 1. ad Corinth. 11. Sed quod accipiat crucem ad transfretandum, subiacet propriæ uoluntati. Vnde si uxor sit talis quæ sequi non possit propter aliquod legitimū impedimentum, & de eius incontinentia timeatur, non est ei consulendum vt accipiat crucem & dimittat uxorem: secus autem est, si uxor cōtinere uoluntarie proponat, vel velit & possit sequi uirum suum.

AD PRIMVM ergo dicendum, q̄ hoc etiam ad salutem propriam uiri pertinet, ut gerat curam de salute uxoris, quæ uiri regimini committitur.

QVÆSTIO VIII.

DE INDE quæsitum est de actibus humanis.

¶ Et primo, De actibus pertinentibus ad prelatos. Secundo, De actibus quæ possunt pertinere ad omnes. Pertinet autē ad prelatos præcipue dispensare in precepto, excommunicare rebellantes preceptis, & beneficia ecclesiastica conferre.

Vnde circa primum queruntur quatuor.

¶ Primo, De obedientia ad precepta prelatorum, utrum scilicet religiosus teneatur obedire prelato suo præcipienti ei in uirtute obedientiæ, q̄ reuelet ei crimen fratris occultum.

¶ Secundo, Circa dispensationem, utrum Papa possit dispensare in bigamia.

¶ Tertio, Circa excommunicationem, utrum aliquis teneatur uitare excommunicatos illos, de quorum excommunicatione etiā inter peritos est diuersa sententia, quibusdam dicentibus eos excommunicatos esse, & alijs non esse.

¶ Quarto, Circa collocationem beneficiorum, utrum prelati ecclesie licite possint dare beneficium consanguineo suo idoneo existenti, si quia facilitate occurrat ei alius magis idoneus.

ARTICVLVS XII.

Vtrum subditus teneatur reuelare prelato præcipienti crimen occultum fratris.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quod subditus non teneatur obedire prelato præcipienti reuelationem criminis occulti. Nullus enim tenetur obedire alicui in hoc, quod nō subditur eius iudicio: sed occulta non subdunt iudicio humano, sed soli iudicio diuino. ergo circa eorum reuelationem nullus tenetur obedire prelato præcipienti.

SED CONTRA est, quod prelati in capitulo religiosorum potest præcipere id, de quo iudex secularis, uel ecclesiasticus potest exigere iuramentum: sed